



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. LXXIV. Circa doctrinam articuli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

ARTICVLVS III.

Utrum omnium, quæ cognoscit Deus, sint ideæ.

88
1. dist. 3. q. 1.
2. ar. 3. q. 1.
d. 1. q. 1. ar. 2.
6. q. 1. ar. 3.
ar. 4. 5. 6. 7.
8. 8.

Ar. 9. preced.
quest. Cap. 1.
non multum
remote ante
finem.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non omnium quæ cognoscit Deus, sint ideæ in ipso. Mali enim ideæ non est in Deo, quia sequeretur malum esse Deo: Sed mala cognoscuntur à Deo. Ergo non omnium, quæ cognoscuntur à Deo, sunt ideæ.

2. Præterea. Deus cognoscit ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt: ut supra dictum est. Sed horum non sunt ideæ: quia dicit Dionys. 5. c. de di. nom. quod exemplaria sunt diuinæ voluntates determinatiuæ, & effectiuæ rerum. Ergo non omnium, quæ à Deo cognoscuntur, sunt ideæ in ipso.

3. Præterea. Deus cognoscit materiam primam: quæ non potest habere ideam cum nullam habeat formam. Ergo idem quod prius.

4. Præterea. Constat quod Deus scit non solum species, sed etiam genera, & singularia & accidentia. Sed horum non sunt ideæ, secundum positionem Platonis, qui primus ideam introduxit, ut dicit August. Non ergo omnium cognitorum à Deo sunt ideæ in ipso.

Lib. 83. q. 9.
45. post. med.
80. 4.

Sed contra. Ideæ sunt rationes in mente diuina existentes, ut per Aug. patet. Sed omnium, quæ cognoscit Deus, habet proprias rationes. Ergo omnium, quæ cognoscit, habet ideam.

Respondetur dicendum, quod cum ideæ à Platone ponerentur principia cognitionis rerum & generationis ipsarum, ad utrumque se habet ideæ, prout in mente diuina ponitur. Et secundum quod est principium factionis rerum, exemplar dici potest, & ad practicam cognitionem pertinet: secundum autem quod principium cognoscitiuum est, proprie dicitur ratio, & potest etiam ad scientiam speculatiuam pertinere. Secundum ergo quod exemplar est, secundum hoc se habet ad omnia, quæ à Deo sunt secundum aliquod tempus. Secundum vero quod principium cognoscitiuum est, se habet ad omnia, quæ cognoscuntur à Deo etiam si nullo tempore fiant, & ad omnia, quæ à Deo cognoscuntur secundum propriam rationem, & secundum quod cognoscuntur ab ipso per modum speculationis.

Ad primum ergo dicendum, quod malum cognoscitur à Deo non per propriam rationem, sed per rationem boni. Et ideo malum non habet in Deo ideam, neque secundum quod ideæ est exemplar, ne-

ARTIC. III.

que secundum quod est ratio.

Ad secundum dicendum, quod eorum quæ neque sunt, neque erunt, neque fuerunt, Deus non habet practicam cognitionem, nisi virtute tantum. Unde respectu eorum non est ideæ in Deo secundum quod ideæ significat exemplar, sed solum secundum quod significat rationem.

Ad tertium dicendum, quod Plato secundum quosdam posuit materiam non creatam, & ideo non posuit ideam esse materiæ, sed materiæ concausam. Sed quia nos ponimus materiam creatam à Deo, non tamen sine forma: habet quidem materiam ideam in Deo, non tamen aliam ab ideā compositi. Nam materia secundum se neque esse habet, neque cognoscibilis est.

Ad quartum dicendum, quod genera non possunt habere ideam aliam ab ideā speciei secundum quod ideā significat exemplar: quia nunquam genus fit nisi in aliqua specie. Similiter etiam est de accidentibus, quæ inseparabiliter concomitantur subiecto, quia hæc simul sunt cum subiecto. Accidentia autem, quæ superueniunt subiecto, specialem ideam habent. Artifex enim per formam domus facit omnia accidentia, quæ à principio concomitantur domum. Sed ea, quæ superueniunt domui iam factæ, ut picturæ vel aliquid aliud, facit per aliquam aliam formam. Individua vero secundum Platonem non habebant aliam ideam quam ideam speciei. Tum quia singularia indiuiduantur per materiam, quam ponebat esse increatam (ut quidam dicunt) & concausam ideæ. Tum quia intentio naturæ consistit in speciebus, nec particularia producit, nisi ut in eis species saluentur. Sed prouidentia diuina non solum se extendit ad species, sed ad singularia, ut infra dicitur.

Conclusio est, Ideæ quatenus dicitur exemplar, solum est in Deo respectu futurorum: ideæ tamen, ut est ratio, tantum est omnium rerum possibilem, quæ nunquam erunt. doctrina articuli & mens S. Thom. disp. seq. explicabitur.

DISPUTATIO LXXIV.

Circa doctrinam Articuli.

Ideæ & exemplar pertinet ad practicam scientiam: at vero ideæ potest etiam pertinere ad speculatiuam. cap. 1. Non tantum specierum & generum, sed indiuiduorum etiam singulas ideæ in Deo esse cap. 2. Materia & accidentium, quæ realiter distinguuntur à substantia, peculiare ideæ ponende sunt. ca. 3.

CAPIT

Idea, & exemplar pertinet ad practicam scientiam: at vero idea potest etiam pertinere ad speculatiuam.

Debitant Theologi vtrum idea ad scientiam practicam Dei, an vero ad speculatiuam pertineat: & cum sit dissensio vocum, non rerum, neque illa sit magni momenti, plus æquo digladiantur: referam igitur breuiter quid singuli dicant paucis etiam quid sentiam in hoc eodem cap. explicabo S. Th. in hoc art. in corp. asserit ideam alio modo dici exemplar alio modo appellari rationem: nam exemplar primum dicitur, prout est principium futuri operis, & hoc pacto ad scientiam practicam ait pertinere. Deinde quatenus est tantum principium cognoscendi rem; & sic (inquit) magis proprie dicitur ratio, atque ad scientiam speculatiuam potest etiam pertinere. Cum addit particulam *Etiā*, non indicat sub ea consideratione qua ratio dicitur, ad vtramque scientiam, & practicam, & speculatiuam simul posse pertinere, sed addit *Etiā*, vt denotaret ideam, quæ dicitur exemplar, & sic ad practicam scientiam spectat, posse quoque ad speculatiuam scientiam pertinere, quatenus ratio est: atque idcirco in solutione secundi plane affirmat, non esse in Deo actum practicam scientiam illarum rerum, quæ nunquam futura sunt, sed tantum virtute, hoc est, quæ licet sit speculatiua, possit etiam esse practica.

Hanc difficultatem cum Caiet. ex professo non tractet in hoc artic. vnico tamen verbo explicasse videtur: cum ait, huius doctrinæ S. Th. fundamentum constare ex dictis supra q. 14. forsan enim intelligit ea quæ dixerat ipse in ea quæst. art. 16. quibus doctrina, quam ex S. Thom. retulimus, elucidari videtur. Putat enim Caiet. scientiam aliquam practicam non esse: nisi quæ supponit affectum, & voluntatem, quæ moueat ad opus: & quia scientiarum, quæ tantum possibiles sunt, non supponit in Deo talem actum voluntatis, ex sententia eius non erit actus practica: sed quia posset supponere talem actum si Deus alia facere decreuisset & tunc practica esset, ideo nunc dicitur virtutes, non actus practica.

Hanc opinionem sic explicatam tradunt Aegidius in 1. d. 36. art. 2. q. 3. & Gab. d. 35. q. 5. art. 2. dub. 4. & S. Thom. q. 1. de potentia art. 5. Contra vero recentiores Thomistæ contendunt, ideam respectu rerum tantum possibilem, esse actum & formaliter practicam: censent enim necessarium non esse ad rationem practicæ scientiæ posteriorem esse ordine suo actum voluntatis, vt ex affectu operis faciendi dirigat ad opus, & hanc diximus supra disp. 69. c. 2. esse veriorem sententiam. Quare expresse docent Albertus in 1. dist. 35. art. 8. & Durand. dist. 36. q. 4. nu. 6. omnem ideam ad scientiam practicam reducendam esse, cum tamen non omnis talem affectum supponat.

Hanc quidem opinionem vt veriorem amplector, quæ manifeste colligitur ex ijs, quæ dicta sunt in illa disp. vt autem optime notauit Gab. art. illo 3. dub. 3. etiam si ab æterno scientia, & idea Dei non operetur, sed in tempore, ab æterno tamen practica est: tu vero intellige non solum quia in tempore de facto operatur, sed quia posset in tempore operari, & producere ea, quæ non est productura.

Cæterum obseruandum est id, quod ex doctrina

na tradita supra disp. 9. deducitur: nempe scientiam, & ideam, quam Deus de creaturis habet, simul esse practicam, & speculatiuam: cum enim idea sit ipsamet essentia Dei, vt representat creaturas, eas vero bifariam possit representare, vel gratia speculationis solum, vel gratia etiam operis, (sicut ibidem diximus, de quauis scientia practica creata, quæ opus ipsum, vnde dicitur practica, potest gratia speculationis solum considerare) ideo scientia, & idea, quam Deus habet de creaturis, ad scientiam practicam, & speculatiuam, nostro modo intelligendi, pertinere potest. Quare nescio, quo fundamento nixus Okam in 1. d. 35. q. 6. dixerit, Okam, ideam & scientiam Dei nec ad practicam, nec ad speculatiuam proprie pertinere.

CAPVT II.

Non tantum specierum, & generum, sed in diuiduorum etiam singulas ideas in Deo esse.

Henricus quodlib. 7. q. 5. docuit non esse proprias ideas singularium, sed communes tantum specierum, & generum, vt ita omnes homines fiant instar vnius idæ naturæ humanæ in Deo existentis: sicut quidam putarunt, Platonem extra Deum vnā ideam communem naturæ posuisse, ex qua omnia singularia fierent: & quod lib. 3. q. 1. idem Henricus dixerat esse quidem vnā solum ideam naturæ specificæ, sed tamen cum diuersis respectibus ad singula indiuidua.

Multo vero probabilius est, indiuiduorum singulas esse ideas, & exemplaria: id quod expresse docuerunt Bonau. in 1. d. 35. art. 1. q. 4. Richard. dist. 36. art. 2. q. 3. Aegidius art. 2. q. 4. & S. Thom. in hoc art. ad 4. nam postquam dixit ex sententia Platonis indiuiduorum non esse propriam ideam, sed communem, subiungit, *Sed prouidentia diuina non solum se extendit ad species, sed ad singularia, vt infra dicitur.* Quibus verbis contrariam sententiam docere voluit, ac si diceret concedendas esse singulorum indiuiduorum proprias ideas, quia prouidentia ad singula etiam refertur: & fortiori ratione id debent asserere quotquot existimant, ideam esse non ipsam essentiam diuinam, sed rem obiectiue præsentem intellectui diuino. Sic enim cum singula indiuidua præsentia sint, sequitur singulorum ideam in Deo esse. Hoc ipsum diserte tradidit August. Epistola 115. ad Nebridium prope finem, vbi postquam hanc eandem quæstionem proposuit, & difficilem esse dixit, tandem ait, vt fieret homo, vnā tantum fuisse rationem hominis, sed vt fieret populus non tantum fuisse vnā hominis rationem, sed etiam hominum: concludit his verbis, *Si ergo pars huius vniuersi est Nebridius, sicut est, & omne vniuersum partibus constat, non potuit vniuersi conditor Deus partium rationem non habere.*

Ego vero non solum censeo, singularium & indiuiduorum ideas in Deo esse, verum etiam non esse ideas specierum, aut generum in vniuersum, adhuc sola ratione ab ideis singulariū distinctas, id quod non solum intelligo de ideis, quæ habent rationem exemplaris rerum futurarum, sed etiam de ideis rerum solū possibilem, etiam si ad speculatiuam scientiam pertineant. Primum quidem de ideis, quæ exemplaria sunt, aut ad practicā scientiam reducuntur, constat, quia hæc sunt principia rerum faciendarum, sed nihil aliud produci potest, nisi indiuiduum, ergo non sunt idæ nisi singularium.

K 4

Deinde

Idea & scientia creaturarum in Deo practica simul & speculatiua est.

Henrici sententia.

Opposita sententia verior, Bonau. Richard. Aegidius, S. Thom.

Et etiam Augustinus.

In Deo non sunt genera, aut specierum idea propria, vel exemplaria.

Deinde de ideis possibilem, etiam quatenus ad speculationem spectant, idem probatur: quoniam Deus non habet conceptum obiectum generis, aut speciei distinctum à conceptu singularium ipse enim non distinguit, nec abstrahit vniuersalia prædicata à singularibus, sed singulas res indiuiduas cognoscit, sicut sunt, ut ostendimus disput. 1. 8. cap. 2. ergo frustra assignatur idea specierum, & generum in vniuersum, cum essentia diuina, quæ est cognitio & eo ipso idea rerum ad ipsas solum in indiuiduo referatur, ut dictum est: & quidem sicut eas distinctas cognoscit, ut re ipsa inter se distinctæ sunt, sic etiam nos secundum nostram rationem in essentia illius, & cognitione plures ideas nostro modo intelligendi distinguimus: & quamuis nos distinguamus in rebus rationem genericam ab specifica, & singulari, hoc tamen satis non est, ut in Deo singularium & vniuersalium naturarum ideas distinguamus: in ipso enim solum distinguimus diuersas ideas, & cognitiones ex diuersis obiectis, non à nobis, sed ab ipso cognitis, ergo si ipse non cognoscit, ut obiecta distincta, naturam in vniuersum, & naturam in singulari, non debet in eo duplex cognitio, aut idea distincta.

CAPVT III.

Materia, & accidentia, quæ realiter distinguuntur à substantia, peculiare idea ponenda sunt.

S. Thom. materia prima propriam nequeat ideam.

Sanctus Thom. in hoc art. ad 3. docet aperte, materiam primam non habere ideam propriam in Deo, sed eandem existimat esse materiam, & totius: reddit rationem, quia secundum se non habet esse, cum sit pura potentia, & totum esse habet à forma, quare nec quidquam ex se habeat cognoscibilitatis. Quibus verbis insinuat, non esse ideam in Deo materiam primam, quatenus exemplar est, neque quatenus ratio est: ac proinde neque illius esse ideam, quæ ad scientiam speculatiuam pertineat, quia ex se nihil habet cognoscibilitatis.

Sententia Caietani.

8.

Hanc sententiam sequuntur Thomistæ communiter, & Caiet. in hoc art. addit tamen, ideam materiam primam, quæ est solum ratio, & ad speculatiuam scientiam spectat, esse totius compositi, non cuiuscunque, sed corporis, ut corpus est: ideam vero materiam primam, quæ est practica, & dici solet exemplar, esse totius compositi, quod ipsa componit secundum omnem rationem illius. Huius vero ea potest ratio assignari, quoniam materia prima non habet esse re ipsa nisi per totum, quod omnem rationem specificam, & genericam simul continet, operatio enim ad omnia terminatur: ergo tantum habet ideam quatenus est exemplar, commune cum toto; idea enim hoc modo est principium operis, cui tribuit esse, & primo ad totum terminari debet: at vero quia cognitio speculatiua potest ad solam rationem genericam referri, & ideam, ut ratio ex sententia S. Th. ad speculatiuam scientiam pertinet, materia prima dicitur ideam, seu rationem habere communem cum eo, per quod habet posse speculatiue cognosci: sed cognosci potest perfecte in aliquo esse per formam corporis in genere: ergo idea, ut ratio speculatiua materiam, est idea corporis, ut corpus est.

Sententiam S. Thom. eam limitat Egidius.

Hanc opinionem ex parte videtur secutus Aegidius in 1. d. 24. q. 4. limitat tamen eam hoc modo, ut non sit idea propria materiam primam, tamquam obiecti, aut ideam distinctam, nisi secundum ratio-

nem quia Deus per ideam quam habet, cognoscit formam à materia distingui, non actum, quia materia secundum se non conuenit actui, neque tantum distinctam opere, quia non fit secundum se, sed sola ratione: quare eodem modo concedere videtur ideam materiam, atque generum, & specierum distinctam ab idea singularium.

Sed certe, aut omnino concedi debet idea propria materiam, aut profus negari, aut enim ex se materia non habet aliquam entitatem, ut putant S. Thom. & plures eius discipuli, & sic nulla erit in Deo propria idea nec practica, nec speculatiua. Practica enim ponitur ad diuersum, & proprium effectum, seu opus, qualis non est materia prima in hac opinione, cum non habeat proprium esse. Speculatiua vero ponitur etiam ad speculandum, & intelligendum, id quod ex se habet aliquid entitatis, & cognoscibilitatis secundum esse: nam quod cognoscitur non esse, non dicitur cognoscibile: ergo nulla esset hoc modo idea materiam primam, non solum tanquam obiecti actui, aut opere distincti, sed neque distincti ratione, quia neque ratione distingueretur à forma, ut aliquid diuersum intelligibile ab ea: ergo idea materiam esset idea totius compositi non solum practica, sed speculatiua etiam, non, ut putant Caiet. totius in genere secundum rationem corporis, sed totius singularis: eo quod Deus non intelligat aliquid sub ratione generica communi, & abstracta à singularibus ut prædictum est. Quod si materia prima ex se aliquam habeat entitatem, ut in Philosophia verius puto, habebit propriam ideam non solum, ut ratio est, & ad speculatiuam scientiam spectat, sed etiam ut exemplar dicitur, & ad practicum scientiam reducit: nam sic tanquam distincta res produci, & cognosci poterit: atque adeo Albertus in 1. disp. 35. art. 10. expresse concessit in Deo propriam ideam materiam primam.

Tandem de accidentibus docet S. Th. in solutione 4. ea, quæ sunt cum toto composita, non habere propriam ideam distinctam ab idea totius: accidentia vero, quæ ipsam iam producta adueniunt, ideam propriam habere, & quamuis S. Doctor non explicet, utrum loquatur de idea, ut est exemplar practicum operis, an, ut est ratio speculatiua; tamen eius ratio plane indicat, solum loqui de idea practica.

Sic etiam Aegidius loco allegato dicit accidentia, quæ sunt cum toto, habere quidem ideam actu distinctam cognitione, sed non operatione, hoc est speculatiuam sed non practicam, alia vero accidentia inquit, habere ideam distinctam cognitione, & operatione, hoc est speculatiuam, & practicam. De speculatiua nemo potest dubitare, quoniam cum accidentia ex se habeant entitatem distinctam à subiecto, loquimur enim de accidentibus re ipsa à subiecto distinctis) habebunt etiam distinctam rationem obiecti intelligibilis, ac proinde distinctam ideam speculatiuam, non solum inde distinctam ideam speculatiuam, non solum inde distinctam ideam speculatiuam, sed etiam quæ subiecto iam producta adueniunt, sed etiam, quæ simul cum illo producantur. Quod vero non habeant distinctam ideam practicam, quæ simul cum subiecto sunt, probat S. Thom. quia artifex eadem ideam dicitur facere domum, & omnia illius accidentia: ergo & Deus eadem faciet hominem, & omnia simul accidentia cum illo.

Ego vero non video satis, cur singula accidentia à subiecto realiter distincta non habeant singulas ideas, etiam practicas; nam de speculatiuis

id

id omnes fateantur. Dico autem accidentia non solum, quae adueniunt toti iam semel producto, sed quae simul cum illo producantur. Nam idea, vt exemplar, solum addit supra ideam speculatiuam, esse principium operis per voluntatem: vbicumque ergo est diuersa entitas, quae fit, erit etiam diuersa idea, vt exemplar: accidentia autem, quae cum subiecto simul producantur, habent diuersam entitatem, ergo dum fiunt, habebunt diuersum fieri, & diuersam ideam vt exemplar: quod enim simul tempore cum toto producantur, non obest quominus eam habeant productionem peculiarem, scit habent suum esse: aut si non habent diuersum esse, non habebunt diuersam cognoscibilitatem, ac proinde nec distinctam ideam speculatiuam.

Katio vero S. Thomæ non probat efficaciter
oppositum, quoniam idea domus cum omnibus
paribus, & accidentibus dicitur vna sicut ipse dom-
us fabricata non vnitate phyfica, & naturali, sed
vinitate artis, quæ ordine tantum vna est: quare
non mirum, si vna domus cum varijs entitatibus,
& accidentibus physicis, & realibus vnica idea ar-
tis fieri dicatur: nos autem loquimur nunc de ar-
tis entis phyfici, & naturalis, quæ secundum varias
entitates phyficas effectus, & operis multiplicari
debet.

idem a se
perdurat.

Atque idem differim in alia quoque via demon-
strari potest: nam artium non solum eadem idea ar-
tis dicitur facere totam substantiam domus, & ac-
cidentia, quæ ipsam faciem comitantur, verum et-
iam ex eadem idea postea reficit accidentia do-
mus, si opus est, & accidentia, quæ non sunt simul
cum domo, sed illi iam factæ adduntur, ex eadem
idea dicuntur fieri, cum tamen S. Thom. fateatur
accidentia, quæ adduntur tori compositio physico
semel producta, duersam habere ideam ab idea
totius, dicuntur igitur accidentia domus nihilomi-
nus postea fieri ex eadem idea, quia illa non est
physice vna, sed ordine tantum, & in genere artis,
quare non est eadem ratio de idea domus, & de
idea entis naturalis, & accidentium illius.

Q V Æ S T I O XVI.

De veritate.

Quoniam autem scientia verorum est;
post considerationem scientiæ Dei,
de veritate inquirendum est.

Circa quam quærentur octo.

N hac 16. agit Doctor Angelicus de veritate & q. 17. de falsitate, quæ sunt affectiones intellectus & scientiæ, vt ostendat, quo pacto veritas conueniat diuinæ scientiæ, falsitas vero omnino ei repugnet, quæ etiam doctrinæ attributum veritatis Dei nostri explicandum est: permuta vero ex ijs, quæ in hac quæst. & seq. tractantur, disputari solent ex professo à Philosophis 4. art. 6. Metaphysicæ, sicut illa etiam quæ de ratione bonitatis tractat. 6. dicta sunt, sed, quoniam attributum veritatis Dei recte explicari nequit, nisi prius bene percipienda natura, & definitio veritatis ipsius secundum se, non debet alicui superfluum videri, eam à nobis in præsentî pertractari. Verum ne cogamur eadem instructuose percipere, dabimus operam, vt si res omnia, quæ S. Doctor per plures articulos huius quæstionis, & sequentis dispersa docuit, ex definitione veritatis recte explicata.

sub his duobus prioribus articulis in vnum colligamus.

ARTICVLVS I.

Verum veritas sit tantum in intellectu.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod veritas non sit tantum in intellectu, sed magis in rebus: Augustinus enim in lib. fol. reprobat hanc notificationem veri. Verum est id quod videtur, quia secundum hoc lapides, qui sunt in abditissimo terræ sinu non essent veri lapides: quia non videntur. Reprobat etiam istam, verum est, quod ita se habet, ut videtur cognitori, si velit & possit cognoscere: quia secundum hoc sequeretur quod nihil esset verum, si nullus posset cognoscere. Et definit sic verum. Verum est id quod est. Et sic videtur quod veritas sit in rebus, & non in intellectu.

2. Præterea. Quicquid est verum, veritate, verum est: Si igitur veritas est in intellectu solo, nihil erit verum, nisi secundum quod intelligitur: quod est error antiquorum Philosophorum, qui dicebant, omne quod videtur esse verum. Ad quod sequitur contradictoria simul esse vera: cum contradictoria simul à diuersis vera esse videantur.

3. Præterea. Propter quod vnum-
quodque, & illud magis, vt patet i. poste-
rior. Sed ex eo quod res est, vel non est,
est opinio vel oratio vera vel falsa secun-
dum Philosophum in prædicamentis. Ergo
veritas magis est in rebus, quam in in-
tellectu.

Sed contra est, quod Philosophus dicit
sexto Metaph. quod verum & falsum non
sunt in rebus, sed in intellectu.

Respondendo dicendum quod sicut bonum nominat id in quod tendit appetitus, ita verum nominat id, in quod tendit intellectus. Hoc autem distat inter appetitum & intellectum sicut quamcunque cognitionem. Quia cognitio est secundum quod cognitum est in cognoscente: appetitus autem est secundum quod appetens inclinatur in ipsam rem appetitam. Et sic terminus appetitus, quod est bonum, est in re appetibili. Sed terminus cognitionis, quod est verum, est in ipso intellectu. Sicut autem bonum est in re, in quantum habet ordinem ad appetitum, & propter hoc ratio bonitatis derivatur a re appetibili in appetitum, secundum quod appetitus dicitur bonus prout est boni: ita, cum verum sit in intellectu secundum quod conformatur rei intellectæ, necesse est, quod ratio veri ab intellectu ad rem intellectam derivetur, & res etiam intel-

lecta vera dicatur, secundum quod habet aliquem ordinem ad intellectum. Res autem intellecta ad intellectum aliquem potest habere ordinem vel per se, vel per accidens. Per se quidem habet ordinem ad intellectum, à quo dependet secundum suum esse; per accidens autem ad intellectum, à quo cognoscibilis est. Sicut si dicamus quod domus comparatur ad intellectum artificis per se, per accidens autem comparatur ad intellectum, à quo non dependet. Iudicium autem de re non sumitur secundum id, quod inest ei per accidens; sed secundum id, quod inest ei per se. Vnde vnaquæque res dicitur vera absolute secundum ordinem ad intellectum, à quo dependet. Et inde est quod res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum nostrum, dicitur enim domus vera, quæ assequitur similitudinem formæ, quæ est in mente artificis. Et dicitur oratio vera, in quantum est signum intellectus veri. Et similiter res naturales dicuntur esse veræ secundum quod assequuntur similitudinem specierum, quæ sunt in mente diuina. Dicitur enim verus lapis, quia assequitur propriam lapidis naturam secundum præconceptionem intellectus diuini. Sic ergo veritas principaliter est in intellectu, secundario vero in rebus, secundum quod comparatur ad intellectum vt ad principium. Et secundum hoc veritas diuersimode notificatur.

Li. de vera relig. c. 36. tom. 1.

Li. de ver. relig. c. 36. a. med. to. 1.

In dialogo de verit. c. 12.

Nam August. in lib. de vera relig. dicit, quod veritas est, quæ ostenditur id quod est. Et Hilarius dicit, quod verum est declaratiuum aut manifestatiuum esse. Et hoc pertinet ad veritatem secundum quod est in intellectu. Ad veritatem autem rei secundum ordinem ad intellectum pertinet definitio August. in lib. de vera relig. talis: Veritas est summa similitudo principij, quæ sine vlla dissimilitudine est. Et quædam definitio Ansel. talis: Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis. Nam rectum est, quod principio concordat. Et quædam definitio Auic. talis: Veritas vniuersiusque rei est proprietas sui esse quod stabilitum est ei. Quod autem dicitur quod veritas est adæquatio rei & intellectus, potest ad vtrumque pertinere.

Ad primum ergo dicendum, quod August. loquitur de veritate rei, & excludit à ratione huius veritatis comparisonem ad intellectum nostrum. Nam id, quod est per accidens, ab vnaquaque definitione excluditur.

Ad secundum dicendum, quod antiqui Philosophi species rerum naturalium non dicebant procedere ab aliquo intellectu,

sed eas provenire à casu. Et quia considerabant, quod verum importat comparisonem ad intellectum, cogebantur veritatem rerum constituere in ordine ad intellectum nostrum. Ex quo inconuenientia sequebantur, quæ Philosophus profertur in quarto Metaphys. Quæ quidem inconuenientia non accidunt, si ponamus veritatem rerum consistere in comparisonem ad intellectum diuinum.

Ad tertium dicendum, quod licet veritas intellectus nostri à re causetur non tamen oportet quod in re per prius inueniatur ratio veritatis, sicut neque in medicina per prius inuenitur ratio sanitatis quam in animali. Virtus enim medicinæ, non sanitas eius, causat sanitatem, cum non sit agens vniuersum. Et similiter esse rei, non veritas eius, causat veritatem intellectus. Vnde Philosophus dicit, quod opinio & oratio vera est ex eo, quod res est, non ex eo, quod res vera est.

Conclusio est. Veritas primarie quidem est in intellectu, à quo ratio veritatis in res ipsas secundarie derivatur.

ARTICVLVS II.

Vtrum veritas sit in intellectu componente & diuidente.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod veritas non sit solum in intellectu componente & diuidente. Dicit enim Philosophus in 3. de Anima. quod sicut sensus propriorum sensibilibus semper veri sunt, ita & intellectus eius quod quid est. Sed compositio & diuisio non est, neque in sensu, neque in intellectu cognoscente quod quid est. Ergo veritas non solum est in compositione & diuisione intellectus.

2. Præterea. Isaac dicit in libro de definitionibus, quod veritas est adæquatio rei & intellectus: sed sicut intellectus complexorum potest adæquari rebus; ita intellectus incomplexorum, & etiam sensus sentiens rem vt est. Ergo veritas non est solum in compositione & diuisione intellectus.

Sed contra est quod dicit Philosophus in 6. Metaph. quod circa simplicia & quod quid est non est veritas, nec in intellectu, neque in rebus.

Respondeo dicendum, quod verum (sicut dictum est) secundum sui primam rationem est in intellectu. Cum autem omnis res sit vera secundum quod habet propriam formam naturæ suæ, necesse est, quod intellectus in quantum est cognoscens, sit verus in quantum habet similitudinem rei cognitæ: quæ est forma eius in quantum est cognoscens. Et propter hoc per

*Commenti
creato in
12. c.*

*Lateran
in argum.*

*100
1. d. 19. q. 5.
art. 1. 7. 8.
ver. 3. a. 3.*

*12. 3. d. 12. c.
100. 1.*

12. 6. m. 11. 2.

Antip.

per conformitatem intellectus & rei veritas definitur. Vnde cōformitatem istam cognoscere, est cognoscere veritatem. Hanc rationem nullo modo sensus cognoscit. Licet enim visus habeat similitudinem visibilis, non tamē cognoscit comparationem, quæ est inter rem visam, & id quod ipse apprehendit. Intellectus autem conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest: sed tamen non apprehendit eam secundum quod cognoscit de aliquo quod quid est: sed quando indicat rem ita se habere sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit & dicit verum. Et hoc facit componendo & diuidendo. Nam in omni propositione, aliquam formam significatam per prædicatum, vel applicat alicui rei significatam per subiectum vel remouet ab ea: ideo bene inuenitur quod sensus est verus de aliqua re vel intellectus, cognoscendo quod quid est, sed non quod cognoscatur aut dicat verum. Et similiter est de votibus incomplexis. Veritas igitur potest esse in sensu, vel in intellectu cognoscente quod quid est, ut in quadam re vera, non autem ut cognitum in cognoscente: quod importat nomen vere. Perfectio enim intellectus est verum ut cognitum. Et ideo proprie loquendo, veritas est in intellectu componente & diuidente, non autem in sensu, neque in intellectu cognoscente quod quid est. Et per hoc patet solutio ad obiecta.

Conclusio est, *Veritas solum est in intellectu componente & diuidente*. Duplex in utroque art. difficultas est, tum in explicanda mente S. Thom. tum etiam in doctrina ipsa, duabus igitur disp. seq. quoad eius fieri poterit, utramque examinare, & veram, propriamque naturam veritatis vnuerse definire conabimur.

DISPUTATIO LXXV.

An veritas intellectus solum sit in compositione, & diuisione.

Sententia Ferrariensis & aliorum, cap. 1.

Prædicta sententia refellitur, & opposita testimonijs præferunt Arist. probatur, cap. 2.

Rationibus probatur posterior opinio, cap. 3.

Respondetur argumentis prioris sententiae, cap. 4.

CAP. I.

Sententia Ferrariensis & aliorum.

Cum veritas in vniuersum sic definiatur, *Est adæquatio intellectus & rei, & ut ait S. Thom. in calce huius art. hæc definitio ad intellectum & ad rem ipsam possit pertinere: ac proinde non modo intellectus, sed etiam quæcumque res vera esse dicatur, imo veritas quasi passio entis à Philosophis assignetur; ut naturam eius melius intelligamus, & vniuersum definiamus; necessarium duximus, si-gillatim monstrare quo pacto tum intellectui, tum rebus omnibus veritas conueniat. Quamuis au-*

tem controuersia bona ex parte potius verborum, quam rerum esse videatur; tamen non debet leuioris momenti iudicari: siquidem ex ea accurate explicata perspicuum fiet, quæ de causa Deus nos-ter dicatur verus Deus, gentilium autem falsi Dii merito appellentur. Ex Scholasticis pauci sunt, atque eorum plures ex schola S. Thom. qui de hac re disputauerint, sed non omnes in eandem sententiam conueniunt: tamen si quisque in suam opinionem Doctorem Sanctum pertrahere contendat. Quare quantum poterimus non modo quid nobis probetur, sed etiam quid ab alijs dicatur, more solito persequemur.

Est autem obseruandum in primis id quod ad-moneat Durand. Heruzus, & alij: cum contro-uerfia est de veritate intellectus, non esse intelli-gendam de ipsa facultate, quæ habet quandam ra-tionem entis: sic enim de intellectu, & de alijs re-bus communis est ratio, sed difficultas est de in-tellektu, quatenus intelligit, & perinde est quære-re, quo pacto veritas est in intellectu, atque in ipsa intellectione. Neque vero questio est de intelle-ctione, quatenus in se entitas quædam est, sed qua-tenus est signum, & ad res, quas significat, refer-tur, ex quo capite intellectio interdum dicitur fal-sa: cum tamen, quatenus res quædam est, semper sit vera, ut art. 3. patebit.

Hoc posito fundamento, in præsentī contro-uerfia sit prior opinio Ferrarien. i. contrag. c. 59. ad du-bium ergo motum, & c. 60. qui ex definitione verita-tis, quam initio memorauimus, colligit veritatem in intellectu esse conformationem cum re ipsa, & veritatem in rebus, conformationem cum intellektu. Porro veritatem, de qua modo est controuersia, censet bifariam in intellectu reperiri: vno mo-do tanquam in eo, in quo est verum & hoc pacto putat esse in quacumque simplici apprehensione intellectus; imo vero nonnulli Thomistæ, qui hanc sequuntur sententiam, dicunt, eandem veri-tatem conuenire speciei intelligibili impressæ, in qua est genus quoddam representationis: idem-que existimant de cognitione cuiusque sensus, sicut expresse docuit Ferrar. extremis verbis illius cap. 59. quorum omnium eadem omnino videtur esse ratio. Altero modo, inquit Ferrar. veritatem reperiri in intellectu cognoscente ipsam verita-tem: sic autem solum esse in compositione, & iu-dicio quia solo iudicio compositionis cognoscit conceptum suum conformem esse cum re intellek-ta, quæ sane conformatio est veritas, ob id tamen non censet veritatem hoc modo esse posse in om-ni genere compositionis, & diuisionis: sed in eo dumtaxat, quo quis reflexe cognoscit suam intel-lectionem conformem esse cum re intellekta, quæ extra existit, aut existere potest.

Cum Ferrar. faciant Socin. 5. meta. q. 17. Capreol. in 1. d. 19. q. 3. art. 1. concl. 3. Aegidius quolib. 4. q. 7. in eo sal-tem, quod asserit, veritatem intellectus non solum reperiri in simplici apprehensione, verum etiam in ipsa specie intelligibili: nam de veritate vtrum reperitur in compositione, an extra, nihil dicunt; imo sententia hæc videtur esse 3. Th. in hac q. art. 2. S. Thom. & q. seq. art. 3.

Prior pars huius sententiæ, in quam diximus Doctores proxime allegatos consentire, probatur primum duobus testimonijs Arist. Alterum est 3. anima c. 6. text. 26. vbi ita ait, *Est autem dictio quidam quippiam de quopiam quemadmodum affirmatio at-*

*Durand.
Heruzus.*

*2
Obseruan-
dum pro in-
telligentia
questionis.*

*Sententia
Ferrar.*

*Veritas tan-
quam com-
posita
tantum re-
peritur in
iudicio reflexe
non solum in
Ferrar.
Socin.
Capreol.
Aegidius.*

S. Thom.

*Probatur
prædicta sen-
tentia aucto-
ritate Arist.*